UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs & exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium similitudinibus conscripta ...

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

34. Tres Angelorum Hierarchi[a]e,& in qualibet tres ordines, ac tria officia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Visual Library

Actus, thura precum defert, ac laudis odores
　Digna ſit excelſo fac ut acerra Deo.
Miles es, eſto vigil, ſemper qui devoret hoſtis
　Circuit, hic addet viribus arma tuis.

[a] Cuilibet fideli, regno, provinciæ, diæceſi civitati, perſonæ publicæ, præter eum, quem ut privata perſona ab ortu nativitatis ſuæ habet; cuilibet parochiæ, Religioſo ordini, confraternitati, Eccleſiæ, monaſterio, ſeminario &c. Angelum cuſtodem a Deo deputari docent Theologi 1. p. q. 113. a. 4.

SYMBOLUM 34.

Tres Angelorum Hierarchiæ, & in qualibet Tres Ordines. *Suprema, Media, Infima. Et Tria Officia.*

N. Hierarchia dicitur Sacer Principatus, ſeu multitudo Sacrorum Principum ordinata.

ALigerûm cœlo (a) triplex Hierarchia fulget,
　In Triadis laudes [b] additus Ordo triplex.
Eſt vicina Prior Triadi, ſuper-eminet omnes:
　Altera quæ medijs gaudet amena Choris.
[c] Infima terrigenûm præſto curare ſalutem,
　Non tamen a Triadis fronte beante vacat.

[a] Ordo Hierarchiarum deſumitur a D. *Tho. & alijs juxta magis & minùs univerſalem ſeu Deo propinquam ſimilemq; cognitionem: Supremi enim Deo proximi ob ipſo Univerſaliſſimo Increato Principio immediatè illuminati, rerum cognitionem recipiunt. Hi, Sequentes* Illuminant, *& a neſcientiâ* Purgant *per ſpecies minùs univerſales, & cauſas creatas. Iſti Infimos* Perficiunt, *tribuendo cognitionem rerum non cognitarum, per cauſas particulares ac proprias, ſpeciesq; non tam univerſales ut cæteræ ſunt. Vide 1. p. q. 106. (b) Quælibet multitudo Perfecta, qualis eſt Angelorum Hierarchia, reducitur ad Ternarium: Principium, Medium, Finem: & ideo Tres ſunt Ordines in qualibet Hierarchia.* D. *Tho. 1. p. q. 108. art. 2. [a] Ad infimum Ordinem Angelorum pertinet aſſiſtere hominibus, ut perſonæ particulares ſunt. Ut verò communes ſunt, vel Capita, etiam ad Alios. Ita docet S.* Tho. *1. p. q. 113. art. 3.*